



## Passages for Stylistic Analysis

***Heroides* 1.11-22:** How does Penelope convey the endless sense of fear and terror she experienced during the Trojan war?

quando ego non timui graviora pericula veris?

res est solliciti plena timoris amor.

in te fingebam violentos Troas ituros;

nomine in Hectoreo pallida semper eram.

sive quis Antilochum narrabat ab hoste revictum, 15

Antilochus nostri causa timoris erat;

sive Menoetiaden falsis cecidisse sub armis,

flebam successu posse carere dolos.

sanguine Tlepolemus Lyciam tepfecerat hastam;

Tlepolemi leto cura novata mea est. 20

denique, quisquis erat castris iugulatus Achivis,

frigidius glacie pectus amantis erat.



***Heroides* 1.47-58:** How is Penelope's desperation at Ulysses' absence highlighted in this passage?

sed mihi quid prodest vestris disiecta lacertis

Ilios et, murus quod fuit, esse solum

si maneo, qualis Troia durante manebam,

virque mihi dempto fine carendus abest? 50

diruta sunt aliis, uni mihi Pergama restant

incola captivo quae bove victor arat

iam seges est, ubi Troia fuit, resecandaque falce

luxuriat Phrygio sanguine pinguis humus

semisepulta virum curvis feriuntur aratris 55

ossa, ruinosas occulit herba domos

victor abes, nec scire mihi, quae causa morandi,

aut in quo lateas ferreus orbe, licet.



***Heroides 7.7-18:*** How is Dido's argument made persuasive in this passage?

certus es ire tamen miseramque relinquere Dido,

atque idem venti vela fidemque ferent?

certus es, Aenea, cum foedere solvere naves,

quaeque ubi sint nescis, Itala regna sequi? 10

nec nova Carthago nec te surgentia tangunt

moenia nec sceptro tradita summa tuo?

facta fugis, facienda petis; quaerenda per orbem

altera, quaesita est altera terra tibi

ut terram invenias, quis eam tibi tradet habendam? 15

quis sua non notis arva tenenda dabit?

scilicet alter amor tibi restat et altera Dido

quamque iterum fallas, altera danda fides.



***Heroides 7.23-34:*** How do these lines show Dido's emotional confusion?

uror ut inducto ceratae sulphure taedae,

ut pia fumosis addita tura focus.

Aeneas oculis vigilantis semper inhaeret, 25

Aenean animo noxque quiesque refert.

ille quidem male gratus et ad mea munera surdus,

et quo, si non sim stulta, carere velim;

non tamen Aenean, quamvis male cogitat, odi,

sed queror infidum questaque peius amo. 30

parce, Venus, nurui, durumque amplectere fratrem

frater Amor, castris militet ille tuis!

aut ego, quae coepi, (neque enim dedignor) amorem

materiam curae praebeat ille meae!



**Heroides 7.61-72:** In these lines, Dido is caught between fear and hope. How is this paradox vividly described?

perdita ne perdam, timeo, noceamque nocenti

neu bibat aequoreas naufragus hostis aquas.

vive, precor! sic te melius quam funere perdam.

tu potius leti causa ferere mei.

finge, age, te rapido - nullum sit in omine pondus - 65

turbine deprendi quid tibi mentis erit?

protinus occurrent falsae periuria linguae

et Phrygia Dido fraude coacta mori

coniugis ante oculos deceptae stabit imago

tristis et effusis sanguinolenta comis 70

quid tanti est ut tum 'merui, concedite' dicas

quaeque cadent, in te fulmina missa putes?



***Heroides* 7.129-140:** How is Dido's indignation conveyed in these lines?

pone deos et quae tangendo sacra profanas!

non bene caelestis impia dextra colit. 130

si tu cultor eras elapsis igne futurus,

paenitet elapsos ignibus esse deos.

forsitan et gravidam Dido, scelerate, relinquo

parsque tui lateat corpore clausa meo

accedet fati matris miserabilis infans 135

et nondum nato funeris auctor eris.

cumque parente sua frater morietur Iuli

poenaeque conexos auferet una duos.

'sed iubet ire deus.' vellem, vetuisset adire

punica nec Teucris pressa fuisset humus.